

tione alicujus Ecclesie, cum consensu fundatoris *arg. cap. quanto 16. & cap. cum venerabilis 21. ibid. de Censib.* Postquam autem Ecclesia jam constructa & consecrata est, non licet Episcopo, novum censum imponere, vel veterem

augere *cap. prohibemus 7. d. 1.* Nisi succurrat rationabilis causa, qualis est, si Ecclesiam eximat a sua Jurisdictione *cap. constitutus 6. de Religios. Dom. vel eidem consueta onera remittat d. cap. cum venerabilis 21.*

CAPUT II.

De Juribus Parochialibus.

Juribus Episcopalibus subnectuntur Parochialia, Parochis quæ talibus propria; subnectitur etiam in *seff. 3.* Jus Patronatus, non quod proprie sit Parochiale, sed quod Ecclesiis Parochialibus interdum active, sæpius autem passive competat.

SECTIO I.

De Sacris Parochorum Juribus.

SUMMARI A.

1. Parochus habet intentionem fundatam quoad forum Sacramentale. 2. Administrat Baptismum. 3. & 4. Pœnitentiam. 5. & 6. Eucharistiam. 7. Extremam Unctionem. 8. Assistit Matrimonio. 9. Ordinat Officium Divinum. 10.

& seq. Offert Sacrificium pro Parochianis. 12. Predicat Verbum Divinum. 13. Peragit functiones Sacras. 14. & seq. Gubernat, & dirigit Parochianos. 17. & 18. An etiam purificatio mulierum post partum eidem privative competat?

§. I.

De Juribus Fori Sacramentalis,

EX Juribus Parochialibus primum tenent, quæ sacra sunt, & inter ipsa sacra præcellunt, quæ Forum Sacramentale concernunt. Habet siquidem Parochus intentionem in Jure fundatam, quoad omnia Sacramenta (Confirmatione & Ordine excepto) fidelibus, intra limites Parochie existentibus, administranda per *Clem. Religiosus 1. de Privileg. Et, si locus sit limitaneus, nec sciat, in cujus Parochia existat, recurrendum est ad dicta in cap. 1. n. 6. & 7.*

2. In specie habet Parochus I. jus conferendi Baptismum. Tamen enim in necessitate non solum Clericis, sed etiam Laicis utriusque sexus Baptismum conferre liceat *cap. in necessitate 21. de Consecrat. Dist. 4. cap. firmiter 1. §. una vero de SS. Trinit. nihilominus extra necessitatis casum solum Parochus ordinarius & proprius solenniter & licite baptizat arg. cap. in sacris § 6. XVI. q. 1. cap. cum olim 18. de Prescript.* Barbofa de *Offic. Parochi cap. 18. n. 1.*

3. II. habet Parochus jus administrandi Sacramentum Pœnitentiæ: nam, spectatò Jure Communi, tenentur Parochiani proprio suo Parocho confiteri, nec alium possunt accedere, sine illius licentia tacita vel expressa per *cap. omnis utriusque 12. de Pœnitent. & remiss.*

4. Esto per generalia & specialia privilegia, partim in Corpore Juris clausa *cap. sunt nonnulli 25. XVI. q. 1. partim per Bullas Extravagantes concessa, Sacerdotes Regulares, ad curam animarum approbati, hodie facultatem habeant, Sacramentum Pœnitentiæ quibuscunque fi-*

delibus in suis Ecclesiis administrandi. Barbofa de *Offic. Parochi cap. 19. n. 22. & seq. Tamburin. de Jure Abb. tom. 2. disp. 6. q. 13. Gregorius Geiser de Privileg. O. S. B. q. 4. art. 2. n. 184.*

III. habet Parochus jus, distribuendi Sacramentum Eucharistiæ suis Parochianis, nec licet aliis, etiam Regularibus, absque Parochi licentia, sub pœna excommunicationis, ipsò factò incurrendæ, idem Sacramentum ministrare *Clem. Religiosus 1. de Privileg.* Attamen post illam Clementinam Regulares obtinuerunt nova privilegia, vi quorum omnibus fidelibus Sacramentum Eucharistiæ in suis Ecclesiis, exceptâ communione Paschali, porrigere valent, non petità Parochorum licentia. Barbofa de *Offic. Parochi cap. 20. n. 8. & seq. Tamburin. d. tom. 2. disp. 5. q. 3. Geiser d. l. num. 196.*

IV. habet Parochus jus administrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, exclusivè ad omnes alios, tam Seculares quam Regulares: nam & his illud administrare (exceptis suis familiaribus & domesticis) sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in *d. Clem. est prohibuit. Barbofa d. l. cap. 22. n. 3. & seq.*

V. habet Parochus solus jus assistendi Matrimonio per *cap. ult. de Clandestina desponsat. & si alius sine licentia Parochi assistat, Matrimonium hodie post Concil. Trident. seff. 24. de Reformat. matrim. cap. 1. nulliter contrahitur. Barbofa d. loc. cap. 21. num. 33. 34. & 37.*

§. II.

§. II.

De Juribus Parochialibus circa Officia Divina.

Proxima post Jura Sacramentalia sunt Jura, quæ competunt Parochis circa officia Divina; de quibus rursus Parochus generaliter à Jure potestatem obtinet, in Ecclesiis Parochialibus omnia ea ordinandi & disponendi, quæ ad cultum DEI & Sanctorum, nec non salutem animarum ordinantur.

10. Inprimis verò de Jure dispositum est, ut, quando Parochus diebus festivis offert Sacrificium, omnes Parochiani accedant *cap. ut dominicus 2. de Parochiis. Extravag. voces illius 2. de Treuga & pace inter commun.* Ita tamen, ut, si alibi sine contemptu Parochi sacrum audiant, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ; saltem ex hodierna consuetudine, per declarationem Leonis X. quam refert Barbofa de *Offic. Parochi cap. 11. n. 15. probatâ. P. Engel ad tit. de Parochiis n. 26. advertens in n. 27. à Parochis non esse tolerandum, si omnes Parochiani vel ma-*

ior eorum pars extra Parochialem Ecclesiam velint audire Missam.

Ad hæc competit Parocho jus prædicandi & Verbum Divinum Trid. seff. 5. de Reformat. cap. 2. & seff. 24. de Reformat. cap. 4. tametsi diversa diversis Religiosis privilegia quoad munus prædicationis, tanquam singulariter privilegiatum, sint concessa per textus in *cap. inter ceteros 15. de Offic. Jud. Ord. Extravag. inter ceteros 1. de Privileg. inter commun. Trid. d. seff. 5. cap. 2. P. Wiefner ad tit. de Parochiis n. 23.*

Deinde ad Parochum spectant sequentes 3. functiones I. Benedictio fontis Baptismalis. II. Benedictio candelarum in die Purificationis B. V. III. Benedictio Cinerum in die Cinerum. IV. Benedictio Palmarum in Dominica Palmarum. V. Institutiones processionum per Parochiam &c. de quibus & aliis agit Barbofa de *Offic. Paroch. cap. 1. 2. per tot.*

§. III.

De Juribus Parochialibus circa Parochianos gubernandos.

Demum ad Jura sacra Parochorum reducuntur Jura circa Parochianos, in spiritualibus gubernandos. Inter quæ primum est jus docendi & instruendi tum pueros tum adultos in rebus Fidei & Præceptis Ecclesiæ; de quo Concil. Trident. seff. 24. de Reformat. cap. 4. Eumque in finem Parochus debet adnoscere parentes, tutores, & curatores, ut suos liberos, pupillos, & adolescentem mittant ad Catechesin. Barbofa d. l. cap. 15. n. 6. & 7.

15. Præterea officium Parochi est, populo denuntiare vigiliis, jejuniis, festis, & indulgentiis, pro tempore occurrentes, ne se de ignorantia possint excusare. Barbofa d. l. cap. 16. per tot.

16. Denique Parochus denuntiat ex jure proprio futura matrimonia, quatenus, si quis ex presentibus cognoscat, impedimentum aliquod inter sponsum & sponfam subsistere, illud manifestet. Trident. seff. 24. de Reformat. matrim. cap. 1.

Quæres: an purificatio mulierum post partum inter Parochialia Jura recenseri debeat?

Resp. pro utraque sententia citari DD. & Cardinalium Declarationes; & quidem pro affirmativa certare Pignatellum *tom. 5. consulti. 76. n. 2. & seqq. ac Monacellum in formulæ legali præli. p. 1. tit. 10. form. 18. n. 10. & seqq. adducentes S. Congregat. Concilii 19. Nov. 1662. & S. Congregat. Visitat. Apostol. 15. Sept. 1695. & 23. Jan. 1698. pro negativa. verò stare Matthæum de *Offic. Cur. Regul. cap. 4. n. 18. Wiefner ad tit. de Purificat. post Partum n. 5. Itaque in re dubia melior est interpretatio pres erit consuetudine & sicut mulieres de Jure Communi non tenentur Legem purificationis, in antiquo testamento latam, & in novo abrogatam, subire cap. us. d. tit. sed, si alicubi videatur inducta obligatio, illa provenire debet ex consuetudine; sic etiam consuetudine potest induci, ut solis Parochis actus purificationis seu benedictionis attribuatür.**

SECTIO II.

De Jure Sepultura.

SUMMARI A.

19. Describitur Jus Sepultura. 20. Parochiani in cimiterio Parochiali sunt sepelendi. 21. Et, si duo habeant domicilia sibi tumulantur, ubi moriantur. 22. & seq. Advena & vagi tumulantur in Parochia, in qua decedunt. 24. Religiosi in suis Monasteriis. 25. Beneficiari in Ecclesiis sui Beneficii. 26. Quilibet locum Sepultura sibi potest eligere. 27. Excepto Religiosus. 28. Nisi moriatur extra Monasterium. 29. & seqq. Ostenditur, quinam in sepulchro majorum sint sepelendi. 32. & seqq. In quolibet loco Religiosus

licet eligere Sepulturam. 36. Etiam in locis minus Religiosis. 37. An in Ecclesiis Monialium & 38. & seqq. Sepultura gaudens Christiano-Catholicis. 42. & seq. Pœnitentes. 44. & seqq. Qui seipos delibet aut necarunt, privantur Sepultura. 47. & seq. Explicatur consuetudo circa maleficos. 49. & seq. Cadaverâ defunctorum non possunt arriuari. 51. Indignitatis emolus emolus Sepultura. 52. & seq. Removetur obstaculum. 54. & seqq. Exponitur, quid Parocho debeatur, quando Parochianus alibi sepelitur. 57. Affertur limitatio.

§. I.

Quid sit Jus Sepulturæ? & quonam in loco aliquis sepeliendus sit?

- 19 **I**uribus sacris, à Parocho obeundis, connexa sunt jura spiritualia, atque ex his singulari titulo dignum Jus Sepulturæ, quod nihil est aliud, quam facultas, ratione cujus Parochianorum, ex hac vita decedentium, corpora debent in cœmeterio Ecclesiæ Parochialis sepeliri. Cùm enim ex *num. 1. & seqq.* Parochiani, dum vivunt, à Parocho ex officio Sacramenta percipiunt, concedens est, ut ab illis etiam in cœmeterio Parochiali (supremos honores & iusta funeralsia consequantur, siue extra, siue intra Parochiam obierint; dummodò ad Ecclesiam Parochialem commodè deportari valeant. Textus in *cap. nos instituta 1. cap. ex parte 5. cap. in nostra 10. de Sepultur. cap. animarum 1. cap. is qui 3. in pr. eod. in 6.* Et, si in duabus Parochiis domicilium quis habuerit, in ea, in qua moritur, tumulandus est *arg. cap. fin. de Parochiis* quin etiam, si quasi-domicilium quis habeat in aliqua Parochia, ut filium studiosi, famulum, ancillam &c. ex hodierna praxi, in *cap. fin. non parum roboratâ. ibidem Sepulturam obtinent. Samuell. de sepult. Elect. tract. 1. disp. 5. controv. 8. P. Wiefner ad cit. rit. de Sepultur. n. 37.*
- 22 Idem est, si peregrini, advenæ, aut vagi homines intra fines alterius Parochiæ moriantur: nam in cœmeterio illius Ecclesiæ Parochialis, intra cujus terminos decedunt, sepeliri debent. Abbas in *cap. in nostra 10. de Sepult. n. 10.* Pirhing ad *eund. tit. n. 8.* Et quia Monasteria quoque per sepe sita sunt intra fines alienæ Parochiæ, memorati homines in illa Parochia tumulandi sunt, etiam si decesserint in ipsis Monasteriis per *cit. cap. in nostra 10. Pignatell. tom. 1. consulti. 306. Vincentius Petra commentar. Apostol. tom. 2. pag. 276. n. 49. & seqq. adducens Declarationem S. Congregat. 3. Febr. 1694. Matthæucius de Offic. Cur. Reg. cap. 29. n. 20. referens aliam Declarationem 27. 24 Septembr. 1670. Ipsimet verò Religiosi, quin & Novitii, sepeliuntur in suis Monasteriis, si ibidem moriantur, aut commodè illuc deferri valeant, etiam Parochis inconfultis, ut censuit S. Congregatio apud Matthæucium *d. l. cap. 30. n. 15. & 16. Engel ad cit. rit. de Sepult. n. 12.* Clerici Sæculares, si Beneficiati sint, in illa Ecclesia, in qua Beneficium habent, quod continuam residentiam postulat, sepeliri debent, licet alibi habitare consueverint. P. Wiefner ad *eund. tit. n. 41. & seqq. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 1. cap. 12. n. 28. Matthæucius d. cap. 30. n. 28.**
- 26 Sed ista procedunt in hypothesi, quâ defunctus neque Sepulturam gentilitiam aut hereditariam in alio loco habuit, neque etiam Sepulturam alibi elegit. Potest enim quilibet, si Religiosum subditum, aut filium familias impuberem excipias, sibi eligere Sepulturam; ut non minus in dispositione patrimonii quàm electione Sepulturæ cuiuslibet sit liberum arbitrium *cap. nos instituta 1. d. l. cap. licet pater 4. cap.*

ult. eod. tit. in 6. Si tamen etiam Religiosus extra Monasterium versetur, nec possit opportunè transportari ad Monasterium, jus eligendi Sepulturam habet *d. cap. ult. Matthæucius n. 15. Samuell. de Sepult. Elect. cit. tr. 1. disp. 4. contr. 6.* Quòd si moriturus Sepulturam non elegerit, attamen Sepulturam gentilitiam habuerit extra Parochialem Ecclesiam, ibidem terræ mandandus est *cap. Ebron 2. cap. placuit 7. XIII. q. 2. d. cap. nos instituta 1. de Sepultur. cap. is qui 3. in pr. eod. in 6.* Exceptâ femina conjugatâ vel viduâ, quæ, dum aliam Sepulturam non elegit, in tumulo sui mariti, & si plures habuerit, in sepulchro ultimi est sepelienda *d. cap. is qui 3. §. mulier in 6. junctò cap. unaqueque 3. XIII. q. 2. P. Engel ad cit. rit. n. 5. qui etiam in n. 9. docet, maritum, cum præmoritur uxor, probabiliter in sepulchro uxoris humandum esse, si nec propriam sibi Sepulturam elegerit, nec sepulchrum majorum habuerit. arg. cit. cap. unaqueque 3.* Si rescire petas I. in quo igitur loco extra Parochialem Ecclesiam liceat eligere vel constituere Sepulturam? Respondet Innocentius III. in *cap. fraternitatem 3. d. l. mortuorum sepulchra & cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti, & orationes atque Missarum solennia, tam pro vivis quàm pro defunctis frequentius celebrantur.* Ex quo textu, sicut etiam ex *cap. ubique 6. XIII. q. 2. cap. Agapitus 13. XVI. q. 1. & cap. cum quis 2. §. ult. de Sepultur. in 6. nec non Kota Rom. in decis. 552. p. 5. tom. 2. in recent. n. 19. abundè liquet, omnia Monasteria, siue populum habeant sibi subiectum, siue non, hâc facultate potiri, ut Sepultura possit ibidem eligi, prout contra non paucos iustissimè propugnat Fagnanus ad *cit. cap. fraternitatem n. 6. quem noviter secutus est Reverendiss. D. D. Guetrather Instit. Jur. Can. lib. 2. tit. 24. n. 10. Matthæucius d. l. n. 1.* Nec reclamant Clementia dudum 2. de Priores, ubi Jus Sepulturæ Religiosis Mendicantibus per modum privilegii conceditur: potest etenim vel responderi cum eodem Fagnano, Jus antiquum per illam Clementinam fuisse magis declaratum; vel potius reponi, jus Sepulturæ, Jure Communi antehac Monasteriis concessum, ad Monasteria Mendicantium non tam extensum, quàm eatenus restrictum fuisse, quatenus Parocho loco nullum per hoc debeatur præjudicium generari, sed ipsi portio Canonica de omnibus obventionibus, occasione funeris perceptis, indistinctè præstari. Si tamen Clerici Sæculares, aut Regulares quempiã inducant ad electionem Sepulturæ in suis Ecclesiis, electio est nulla, & inducentes ipsò factò poenam excommunicationis, S. Pontifici reservatæ, incurrunt *cap. animarum 1. de Sepult. in 6. Clem. cupientes 3. de Pen. Samu. II. de**

Quinam gaudeant Sepulturâ Ecclesiasticâ?

- de Sepult. Elect. tract. 1. disputat. 2. contr. vers. 1.
- 36 Si rescire petas II. utrùm in loco minus Religioso, in quo videlicet officia Divina vel Missæ Sacrificia rariùs, ac semel tantum aut bis in anno, celebrantur, liceat eligere Sepulturam? Resp. affirmativè per textum apertum in *d. cap. cum quis 2. §. ult. de Sepultur. in 6. ubi textus in d. cap. fraternitatem 3. & si qui alii videantur ob stare, declaratus aut correctus est.*
- 37 Si rescire cupias III. an etiam in Ecclesiis
- 38 Sepultura videtur ex Jure Gentium omnibus hominibus, tanquàm ultimum solatium, & supremum honor, post mortem debita: indeque apud Christiano-Catholicos Sepultura Ecclesiastica gaudent omnes, qui piè & religiosè ex hoc saculo abierunt *cap. qui Divina 28. XIII. q. 2.*
- 39 Dixi I. apud Christiano-Catholicos. Nam infideles & non-baptizatos, sicut viventes Ecclesiam fœd non fovit gremio, sic neque mortuos recipi per *cap. nullas 25. cap. Ecclesiam 28. de Constat. Diss. 1. Et hinc infantibus, sine baptismo mortuis, separatus locus pro Sepultura solet assignari. Deinde etiam hæretici, eorumque fautores & receptatores, ab Ecclesiæ unione se pertinaciter subtraxerunt, à sinu Ecclesiæ post mortem reperiuntur *cap. quoniamque 2. in primo. de Hæretic. in 6.**
- 41 Si tamen Parochos vel alios adigerit per metum gravem, ut hæreticum sepeliret, & abesset contemptus Ecclesiæ, ex judicio P. Engel *cit. rit. sub n. 18. non peccaret, admittendò Sepulturam, licet, cessante periculo, mortuò exhumare deberet cap. sacris 12. de Sepult.*
- 42 Dixi II. piè & religiosè ex hoc saculo abierunt. Qui enim in excommunicatione aut interdicto notorio absque signis poenitentiae decesserunt, carent Sepulturâ Ecclesiastica *d. cap. sacris & cap. ult. de Sepult. cap. Episcoporum 8. de Privileg. in 6. cap. à nobis 28. de Sent. excommunicat. cap. si cui 20. eod. in 6.*
- 43 Similiter Sepultura sacrâ privantur, quicumque in notorio & certo peccato mortali, absque poenitentia indiciis moriantur *cap. pro obeuntibus 21. XIII. q. 2. quales in specie sunt fures & adulteri, in flagranti interfecti cap. fures 31. eod. quasi. 2. usurarii manifesti cap. quia in omnibus 3. de Usur. cap. quamquam 2. d. l. in 6. raptores & incendiarii cap. super eo 2. cap. in literis 5. de Raptor. Religiosi proprietarii cap. Monachi 2. de Statu Monach. omittentes communionem Paschalem cap. omnis utriusque 12. de Penitent. & remiss. decedentes in duello, quod instituitur ex condicito. Trid. Sess. 25. de ref. cap. 19. Matthæucius de Officiali Cur. Reg. d. cap. 30. num. 30.*
- 44 Quæres I. An, qui seipos interfecerunt, Sepultura Ecclesiastica fruantur?

Monialium in parte exteriori possit eligi sepultura? Resp. id quidem à multis affirmari, nominatim à Gonzalez ad *cit. cap. fraternitatem. num. 5. Samuell. de Sepult. tract. 1. disp. 6. contr. 11. consulti. 7.* per textum non contentendum in *cap. ubique 6. XIII. q. 2. & quandam Declarationem Gregorii XIII. attamen etiam à multis negari, ac plures S. Congregationis resolutiones pro negativa profertur apud Pignatell. tom. 4. consulti. 177. Vincenium Petram d. tom. 2. pag. 198. num. 28. & seqq.*

§. II.

Quinam gaudeant Sepulturâ Ecclesiasticâ?

Resp. videndum esse, num deliberatò consilio seipos interfecerint, nec ne. Si deliberatò consilio, puta ex tadio vitæ, metu ignominie, desperatione &c. illis Sepultura Ecclesiastica negatur *cap. placuit 12. XIII. q. 5. Si non deliberatò consilio, sed ex amentia. 45 v. g. aut furore acciderit, Sepultura non negatur arg. cap. ex parte 11. de Sepultur. ubi prolixè Gonzalez. In dubio autem, quando quis reperitur occisus, nec scitur, an seipsum occiderit; & si scitur, quòd seipsum occiderit, ambigitur, an deliberatè, vel indeliberatè, præsumptio tendit in meliorem partem *arg. cap. estote 2. de R. F. & cap. ult. de Praesump. Covarruv. Var. resol. lib. 2. cap. 1. n. 11. Barbosa de Off. Par. cap. 26. n. 49. Engel d. l. n. 20. D. Guetrather ubi supra n. 16.**

Quæres II. licetne malefactores, ultimò supplicio affectos, Sepultura Ecclesiastica arcere? Resp. consuetudinem passim invaluisse, ut talium hominum cadavera vel in furca, vel in tota, vel in palo relinquuntur inhumata; nihilominus eandem consuetudinem se temperandam existimo, ut non promiscuè omnium malefactorum cadavera permittantur, insepulta, qui Sacramentis Ecclesiæ ante supplicium fuerunt prolixi per *cap. fures 2. de Furi. cap. 30. in 2. q. 2. cap. super eo 2. de Hæretic. in 6. Clem. cum secundum 1. de Penitent. & remission. l. ult. ff. de Cadaver. punis. Sed illorum duntaxat, qui criminosa atrociora & Reipublicæ magis perniciosa perpetrarunt per l. corpora 1. ff. d. l. quatenus ex aspectu cadaverum inhumatorum ceteri mortales ab ejusmodi facinoribus magis magisque deterreantur. P. Wiefner ad *cit. de Sepultur. n. 12. & seqq.**

Quæres III. possintne cadavera defunctorum ob debitum aliquod civile pignorari seu arrestari, sicut Sepultura Ecclesiastica tamdiu defraudari, usque dum debitum fuerit exsolutum? Resp. id graviter ac fidei poenâ amittendi debet & 70. librarum auri prohibuit esse l. ult. Cod. de Sepulchro viol. Nov. 60. cap. 1. in princ. §. 1. Et justè: quia non solum inhumatum est, ut quædam negare humanitatem, atque in cadaver insensibile fœvere, sed etiam

Altum est, id in pignus assumere, ex quo nulla penitus utilitas sperari potest. Magnif. D.

P. König ad tit. de sequelat. possess. & fruct. n. 9. Covarr. Var. resol. d. lib. 2. cap. 1. n. 10.

§. III.

Quid emolumentum conferat Jus Sepulturae?

- 51 Jus Sepulturae, quatenus est Parochiale, non exiguum emolumentum confert. Nam, si funus in Ecclesia Parochiali sepeliatur, quidquid illius occasione offertur Ecclesiae, spectat ad Parochum per cap. ad Apostolicam 42. de Simonia Barbosa ad Clem. dudum 2. de Sepulture. n. 27.
- 52 Et quamvis in cap. cum in Ecclesia 9. d. 1. consuetudo, vi cuius aliquid a fidelibus ratione funeris exigitur, reprobatur: attamen non reprobatur consuetudo, vi cuius aliquid ultrò suppeditatur a fidelibus; nec reprobatur consuetudo alia, quae aliquid exigitur non pro ministerio spirituali, sed vel in sustentationem ministrorum, vel etiam in compensationem decimarum personalium, quae passim abrogata noscuntur, ut explicat P. Engel ad cit. tit. n. 15.
- 53 Quia & si cadaver non prius inferretur Sepulturae, quam loco funeralium aliquid solutum esset, huiusmodi praxis non aliter quam corruptela detestanda foret cap. abolenda 13. de Sepulture.
- 54 Quodsi cadaver hominis Parochiani extra Parochialem Ecclesiam sepeliatur, interest, an ibi licite fuerit sepulchrum, puta quod defunctus ibidem Sepulturam avitam habuerit, aut sponte elegerit; an illicitè. Posteriore casu

omne id, quod alteri Ecclesiae ratione funeris obvenit, Parocho restituendum, & simul cadaver est exhumandum cap. cum liberum 6. d. 1. etsi talis exhumatio, cum raro sine scandalo fiat, non facile suadenda sit arg. cap. in nostra 10. eod. tit. in fin. Priore casu Parochos debetur portio canonica de legatis piis, oblationibus, & quibuscunque emolumentis, ad illam Ecclesiam invito funeris devolutis cap. nos instituta 1. cap. cum super eod. d. 1. cap. cum quis 2. in pr. eod. in 6. Eaque portio (quae pro locorum varietate variat, ac modò tertia, subinde media, nonnunquam quarta vocatur d. cap. nos instituta 1. cap. relatum 2. cap. cum super 8. cap. certificari 9. Clem. dudum 2. d. 1. ac, quoad legata pia, iuxta testimonium P. Wiestner ib. num. 55. multorum locorum non-ultis cessavit) inter utrumque Parochum est dividenda, quando defunctus in duabus habuit domicilia d. cap. cum quis in pr. 2. in 6. Nisi fortassis, ut limitant plures cum Sylvestro in Summa P. Canonica portio n. 11. defunctus in una solum ex illis Parochiis recipere Sacramenta consueverit: tunc enim subintrat regula, ut, qui laborem piùm in vita sustinuit, post mortem accipiat premium arg. cit. cap. nos instituta 1. & Clem. dudum.

SECTIO III.

De Jure Patronatus.

SUMMARIUM.

- 58. & seqq. De Nomine Juris Patronatus. 61. Illius definitio. 62. Est jus reale. 63. Praesentandi Clericum. 64. Et exercendi prerogativas connexas. 65. In Ecclesia Patronatus. 66. & seqq. Dividitur in Ecclesiasticum, Saeculare, & Mixtum. 69. & seqq. Item in hereditarium & gentilitium. 72. & seq. Reale & Personale. 74. Originaliter acquiritur fundatione, donatione, vel constructione. 75. & seq. Hi modi non requiruntur conjunctive. 77. Dotatio debet esse sufficiens. 78. Speciali reservatione non est opus. 79. & seqq. Transferretur in alios per conventionem. 82. & seq. Successionem. 84. Praescriptionem. 85. & seqq. Doti constitutionem. 89. & seqq. Sequestationem. 94. & seq. Fiduciarium.
- 96. Competit etiam impuberibus. 97. Laicis. 98. Familis. 99. Aut illegitimis. 100. Non tamen infidelibus. 101. Haereticis. 102. Excommunicatis. 103. Aut Religiosis in particulari. 104. Praecipuus effectus est praesentatio Clerici. 105. Patronus Laicus variare potest. 106. Ecclesiasticus non potest. 107. & seq. An Patronus debeat praesentare digniorem? 109. An possit in Ecclesia Collegiata praesentare? 110. & seqq. Quid si sit eidem nota fuerit? 113. & seqq. An tunc valeat institutio? 119. & seq. Quandoam provisio Beneficii Patronatus devolvatur ad Ordinarium? 121. & seqq. Recensentur brevitè alii effectus. 125. & seqq. Statuuntur contraria, tam ratione delicti, quam sine delicto.

§. I.

Quid & quotuplex sit Jus Patronatus?

58 Jus Patronatus aliter accipitur in Jure Civili; aliter in Jure Canonico. In Jure Civili accipitur pro potestate, quae competit manumissori in personam & bona liberti; quo in sensu nonnulla sunt scripta in p. 1. cap. 1.

num. 39. In Jure Canonico aliquando accipitur latius, pro jure nimirum advocatiae, seu protectionis, quod competit personis Laicis & Ecclesiasticis ad res Ecclesiasticas & Ecclesiarum jura defendenda, de quo in Lib. I.

- tract. 5. cap. 5. n. 69. & textus est in cap. praereu 23. cap. cum autem 24. de Jure Patronatus.
- 60 Interdum & hic accipitur strictius pro jure, quod competit fundatoribus, constructoribus, aut doctoribus Ecclesiae in ipsa Ecclesia, ac definitur bifariam. Ab antiquioribus, quorum antecessarij sunt Joannes Andreas & Panormitanus in rubr. d. 1. n. 3. Antonius de Butrio ad cit. rubr. q. 1. n. 1. Joannes de Anania ib. n. 5. communis definitur; quòd sit jus honorificum, onerosum, & utile, alicui sive Clerico, sive Laico competens pro eo, quòd Ecclesiam cum Episcopi consensu fundaverit, construxerit, vel dotaverit. A Recentioribus, quibus ex Vereribus adspulatur Hostiensis in Summa d. 1. definitur; quòd sit potestas praesentandi Clericum, in Beneficio instituum.
- 61 Prima ex his definitionibus apparet Recentioribus nimis prolixa; & secunda videtur Antiquioribus nimium brevis. Utrique classi quidpiam deseri potest, si definitio sic efformetur, quòd Jus Patronatus sit potestas praesentandi Clericum; & exercendi prerogativas connexas in Ecclesia patronata.
- 62 Dixi I. potestas; & si scire cupias, siene haec potestas jus reale vel personale? Plura equidem disputat Lambertinus de Jure Patronatus. tit. 7. 1. quaest. princip. Ego tamen Resp. esse jus reale, & speciem ejusdem servitatis personalis, quatenus Ecclesia patronata est Patrono subordinata, & in tantum subiecta, ut teneatur Clericum, ab eo praesentatum, acceptare, & eundem, alia jura exercentem, sustinere. Abbas in cap. examina 15. de Judic. num. 16. ubi etiam solide probat, Patrono actionem confessoriam & negatoriam competere. Sine jus spirituale? Dubium eximit cap. quanto 3. de Judic. affirmativam expresse statuens.
- 63 Dixi II. praesentandi Clericum. Et hic est principalis actus, & primaria Patronorum prerogativa, quòd personam nominare possint, quamconque voluerint, ad Beneficium Ecclesiae patronatae, eò effectu, ut repelli nequeat, si reperitur idonea ex dictis in p. 2. cap. 3. n. 133.
- 64 Dixi III. & exercendi prerogativas connexas. Has, seu minus principales, referam infra, ubi de effectu ageatur.
- 65 Dixi IV. in Ecclesia patronata, in qua nempe Jus Patronatus legitimo titolo fuit acquisitum.
- 66 Dividitur Jus Patronatus I. in Ecclesiasticum, Saeculare, & Mixtum. Ecclesiasticum est, quod competit vel Ecclesiae seu Communitati Ecclesiasticae; vel alicui personae Ecclesiasticae quae tali. Saeculare est, quod competit personae Saeculari quae tali, sive fuerit singularis, sive integra communitas. Mixtum est, quod personae Ecclesiasticae quae tali simul &

Saeculari competit. Videatur Card. de Luca de Jure Patronatus. disc. 59. per tot. Hocque Jus Patronatus Mixtum privilegia Juris Patronatus tam Ecclesiastici quam Saecularis participat: eò quòd generaliter in materia vel jure individuo privilegium unius alteri fiat commune arg. l. si qui 100. §. ult. ff. de Appellat. l. si libellum 1. Cod. de Divers. rescript. l. un. Cod. fin. communi eademque causa &c. cap. ult. de Annis petiti. Card. de Luca d. disc. n. 22. & seq. Lotter de re Benefic. lib. 2. q. 10. n. 74. 816 tamen ex speciali conventionne inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum observetur alternatio, censetur Jus Patronatus merè Ecclesiasticum, quando turnus concernit Patronum Ecclesiasticum; & quando turnus Patronum Laicum tangit, pure laicale reputabitur. arg. cap. ult. de Praebend. in 6. Joann. Andreas in cap. cum secandum 16. eod. §. ult. Reverendiss. DD. Martinus Resch, meritisissimus olim in Cathedra Antecessor, in Dissput. de Jure Patronatus. cap. 2. §. 3. n. 6.

II. dividitur in hereditarium & gentilitium, seu familiare. Hereditarium est, quod transit ad haeredes quosconque. Consilium seu familiare est, quod transit ad eos duntaxat, qui de gente feu familia Patroni censentur. Et, si Jus Patronatus transeat ad illos de familia, qui simul haeredes sunt, Mixtum appellatur. Card. de Luca de Jure Patronatus. disc. 60. n. 15. In dubio censetur magis hereditarium, quam gentilitium, nisi specialis mentio sit facta de familia vel descendentibus Patroni, vel alia admittit concurrent per textum in cap. quoniam 3. de Jure Patronatus & Clem. ult. eod. D. Resch de cap. 2. in pr. num. 2. Card. de Luca de Jure Patronatus. disc. 63. num. 3. & seqq.

Quòdsi familiare fuerit, & familia Patroni totaliter extincta, probabilius mihi videretur, Jus Patronatus in hereditarium converti: eò quòd ex num. priori censetur ex natura sua hereditarium, & ad familiam Patroni non diutius restrictum, quam familia duraverit. arg. l. cum pater 77. §. 27. l. qui solidum 78. §. 3. ff. de Legat. 2. Rot. Rom. in rec. p. 6. dec. 1066. n. 16. & seqq. Fagnanus in cap. perlatum 1. d. 1. n. 23. Card. de Luca de Jure Patronatus. disc. 55. n. 3.

III. dividitur in reale & personale. Reale est, quod rei cuidam, v. g. castro, praedio, territorio &c. cohaeret. Personale est, quod cohaeret personae Patroni, ejusque descendendum, aut aliorum haeredum. Distinguitur unum ab altero, quòd reale cum re, cui cohaeret, ad quemconque possessorem transferatur, nisi specialiter excipiat per textum in cap. ex literis 7. cap. cum saeculum 13. d. 1. personale non transeat ad personam aliam, quam acquirentis, descendenti, aut haeredum ejus juxta n. 69. & seqq. Engeld. cit. tit. num. 23. not. 5. in fin.

§. II.

Quot Modis acquiratur Jus Patronatus?

- 74 Jus Patronatus acquiratur originaliter triplici modo, fundatione, dotatione, vel constructione Ecclesie. Fundare Ecclesiam dicitur, qui fundum, in quo possit edificari, concedit. Dotare censetur, qui congruam dotem, seu media, ad Ecclesie conservationem aut reparationem, nec non alendos Ministros necessaria, subministrat. Construere reputatur, qui propriis expensis fabricam extrui curat.
- 75 Nec opus est I. ut tres enumerati modi ad acquirendum Jus Patronatus simul concurrant: esto enim sic innuere videatur Trident. Concil. sess. 14. de ref. cap. 12. contrarium tamen, quod nempe seorsim unusquisque sufficiat, insinuat idem Trident. sess. 25. de ref. cap. 9. & constat ex cap. filii 31. cap. decernimus 32. & passim XVI. q. 7. cap. quoniam 3. cap. nobis 25. ubi Fagnanus n. 49. de Jure Patronat. ubi sub alternatione & separatione hi modi recensentur. Quin & si plures ad fundationem, dotationem, aut constructionem Ecclesie concurrerint, Jus Patronatus omnibus debetur: eod quod omnes Ecclesie beneficium inestimabile præstiterint, eamque de non esse ad esse perduxerint. Panormit. ad 77. q. 1. c. 6. Reisch cap. 4. num. 4. Si tamen unus subministrasset dotem non sufficientem, talis non dotator sed benefactor duntaxat appellandus, neque Patronatus jure decorandus foret. Glossa in cap. quicumque 30. y. aliquando ead. q. 7. Anton. de Burrio in cap. perlatum 1. d. 1. n. 9. Engel ad tit. de Jure Patronat. num. 21. Clericatus de Benefic. disc. 4. num. 16. Gail. 2. disc. 88. n. 10. & seqq. Quod ipsum limitat Panormit. d. n. 6. quando à pluribus seorsim dos nimis exigua, cumulatim tamen & conjunctim sufficiens, est constituta.
- 78 Nec opus est II. ut, qui fundat, dotat, aut edificat Ecclesiam, Jus Patronatus expressa conventionem sibi relervet: est enim fundatoribus, dotatoribus, & edificatoribus Ecclesie in compensationem beneficii præstati ab ipso Jure concessum, si modo consensus Episcopi in fundationem, dotationem, aut edificationem accesserit cap. nobis 25. de Jure Patronat. cap. pia mentis 26. cap. Frigentius 27. XVI. q. 7. cap. nemo 9. de Consecrat. Dist. 1. D. Reisch d. cap. n. 10. P. König ad cit. tit. n. 15. Clericat. cit. disc. n. 9. Wiestner ad d. 1. n. 37. & 40.
- 79 Ubi semel unò ex recensitis modis acquisitum & constitutum est Jus Patronatus, pluribus denuò modis ad alios transferri potest; è quibus
- I. est conventio, puta donatio, permutatio, venditio, per quam Jus Patronatus in alium transferri potest, dummodo temporale quid in vicem ipsius ex obligatione justitiæ non reddatur; & si in aliam personam, quam Religiosam, transferatur, Episcopi consensus interveniat cap. ex literis 7. cap. cum laici 10. cap. cum saculum 13. de Jure Patronat. cap. un. eod. in 6. cap. ult. de Res. permitt. Latè Anton. de Burrio ad d. cap. ex literis & cap. de Jure 106. D. Martinus Reisch d. 1. cap. 6. §. 2. per tot. Ubi tamē distingendum est inter Jus Patronatus personale, quod personæ cohæret; & reale, quod rei, castro, fundo, pago &c. conexum est: nam reale unà cum ipsa rei in consequentiam transfertur, tametsi nulla super hoc conventio specialiter habita, aut Episcopi auctoritas fuerit requisita d. cap. ex literis 7. cap. cum saculum 13. Reisch d. cap. 6. §. 3. num. 2. Unde etiam ad illius quasi possessionem acquirendam non est necesse, ut Patronus actum præsentationis exercuerit, sed sufficit, si possessionem ipsius rei, cui annexum est Jus Patronatus, acceperit: eod quod jurum incorporalium, que habent se accessorie ad rem seu subjectum aliud, possessio unà cum rei vel subjecto acquiratur arg. l. omnium 3. in pr. ff. de usufruct.
- II. est successio, in qua videndum, an Jus Patronatus sit gentilitium seu familiare; an hereditarium. In illo succedunt soli descendentes, qui sunt de familia primi acquirentis vel statuentis. Barbosa J. E. U. lib. 3. cap. 12. n. 22. In hoc succedunt omnes, quotquot ex numero hæredum sunt arg. Clem. ult. de Jure Patronat. Reisch d. cap. 6. §. 3. n. 1. Et, si mixtum sit, succedunt illi, qui simul hæredes, & de familia sunt. Card. de Luca de Jure Patronat. disc. 69. per tot. disc. 24. à n. 6. qui etiam in disc. 22. 26. 28. & 30. subtiliter examinat, utrum sceminae & cognati succedant in Jure Patronatus familiari? Quotiescunque verò concurrunt plures hæredes, non succedunt in capita, seu, quod idem est, non quilibet potest seorsim unum Clericum præsentare, sed in stirpes; seu, quod in idem recidit, omnes simul unam tantummodò vocem habent in præsentatione; nisi pro bono pacis velint quoad præsentationem alternare: aut insipienti plures, pro ipsius arbitrio seligendos, nominare d. Clem. ult. Reisch d. cap. 6. §. 1. num. 2. & seqq.
- III. est præscriptio, de qua, cum plurima quoad acquisitionem Juris Patronatus differerim in Lib. I. tit. de Prescrip. cap. 4. à n. 452. & cap. 5. à n. 197. illic me remitto.
- Interrogabis I. quis habeat Jus Patronatus, maritus, an uxor, quando hæc fundum, cui Jus Patronatus annexum est, dedit in dotem? Resp. Doctorum placita hic esse varia; ac satis probabilem videri sententiam Panormitani in cap. ult. de Concess. Prab. num. 8. Felini in cap. cum olim 14. de M. & O. n. 2. P. König ad cit. tit. n. 21. Jus præsentandi uxori tributum: eod quod dominium civile rei doctalis unà cum fructibus transeat quidem ad maritum, sed catenus, quatenus ad onera Matrimonii sustentanda conducit l. pro oneribus 20. Cod. de Jure dot. quò Jus Patronatus, tanquam inestimabile & infrugiferum, neutiquam spectat. Nihilominus sententiam oppositam, quam, præter multos citatos, sectantur Barbosa J. E. U. lib. 3. cap. 12. num. 223. Reisch de Jure Patronat. cap. 6. n. 10. Wiestner cit. l. num. 53. & 55. Jus præsentandi marito adscribentium, vix non probabiliorem videri, ex ea ratione: quòd Jus Patronatus, nisi excipiatur, indistinctè sequatur possessorem rei, cui annexum d. cap. ex literis 7. de Jure Patronat. adeoque etiam maritum: quippe ad quem fundus dotalis quoad possessionem & dominium civile non solum transit cum fructibus utilibus, sed etiam honorificis, illis maxime, qui virilem prudentiam requirunt, qualis est fructus Jurisdictionis, & fructus Juris Patronatus, seu præsentatio.
- 89 Interrogabis II. utrum in sequestrum castri, fundi, aut rei controversie, cui Jus Patronatus cohæret, idem Jus transeat? Resp. affirmative. Ita Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 23. n. 17. Garcia de Benef. p. 5. cap. 6. à n. 1. Wiestner ad tit. de Sequestrat. post. 90. §. 1. & fruct. n. 19. Ratio est: quia sequenter plenariam rei sequestrate administrationem adipiscitur, tam quoad temporalia, quam quoad spiritalia per textum in Clem. un. de Sequestrat. post. & fruct. ubi sequestrato Beneficii sequestrati administratio, non minus quam ipsimet Beneficiario & Rectori, conceditur. Ergo etiam sequestrato, cui Jus Patronatus cohæret, illius administratio seu exercitium juris præsentandi & prerogativarum connexarum concedi debet.

- Neque dicas, quòd fructus rei sequestrate non transeat in sequestrum per text. in cap. ad hoc 1. X. d. 1. consequenter nec fructus Juris Patronatus, qualis censetur esse præsentatio Clerici, utpote quæ etiam creditorum pignoratitio ex eadem ratione fuit prohibita per cap. cum Bertholdus 18. de Sent. & rejudic.
- Resp. enim, fructus rei sequestrate non transeat in sequestrum, si patrimoniales & servandò sint servabiles; sed si politici, honorifici, & simul servandò non sint servabiles, cujusmodi v. g. est præsentatio Clerici, qua ultra tempus, à Jure statutum, non differri, & consequenter, si ante finem litis intra legitimum tempus interponatur, Patrono præjudicare non potest. Nec paritas est cum creditore pignoratitio: supponitur namque tunc adesse dominus certus rei oppignoratæ, qui Jus præsentandi suo creditorum cessisse non præsumitur: hic autem, cum de Jus Patronatus litigium vertatur, dominus seu Patronus incertus esse supponitur.
- Interrogabis III. utrum, si Jus Patronatus sit hæreditarium, & hæreditas per fideicommissum relicta, an penes hæredem fiduciarium remaneat, an ad fideicommissarium transferatur? Resp. illud ad fideicommissarium transferri. Zöel. ad tit. de Jure Patronat. num. 12. & plures alii. Ratio est: tum quia Jus Patronatus alium de transfertur cum universitate bonorum ex n. 73. tum quia fideicommissario hæredi totum Jus hæreditarium, & consequenter etiam Jus Patronatus, quod hæreditarium nuncupatum, restituitur.

§. III.

Cuiam possit competere Jus Patronatus?

- 86 Jus Patronatus ex dictis aliquando competit rei; aliquando personæ. Nec refert quoad personas I. sintne puberes vel impuberes. Nam etiam impuberes Juris Patronatus sunt capaces, licet in actu secundo non possint id exercere, vel Clericum præsentare, nisi consensus tutoris interveniat arg. cap. ult. de Judic. in 6. Zöel. ad tit. de Jure Patronat. n. 40. Wiestner ibid. n. 44. & seqq.
- Nec refert II. sintne Clerici vel Laici: siquidem & Laici universim ad Jus Patronatus, quantumvis spirituale sit, habilitati reperuntur per textum in cap. quicumque 30. cap. filii 31. cap. decernimus 32. XVI. q. 7. cap. nobis 25. d. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.
- 88 Nec refert III. sintne mares aut sceminae; quantumvis enim sceminae munerum civilium alioquin incapaces pronuntientur in l. scemina 2. ff. de R. J. attamen Juris Patronatus de Jure Canonico propterea non sunt incapaces: quia Ecclesia cæteris paribus non tam attendit personæ qualitatem, quam meritum & obsequium, à persona impensum per cap. ult. de Concess. Prab. ubi Panormit. num. 3. cap. ex literis 7. de Jure Patronat. ubi Barbosa n. 12. Covarruv. pract. 99. cap. 38. Reisch de Jure Patronat. cap. 3. n. 1.
- Nec refert IV. sintne liberi legitimi nec ne: quandoquidem macula natalium, etiam quem excludat tum à successione profana, tum etiam à munericibus & beneficiis Ecclesiasticis r. 1. de filiis Presb. non tamen excludit à Jure Patronatus, si vel originaliter ab illegitimo filio ponatur illius causa; vel sit hæreditarium simpliciter; vel alias aliò titulo in ipsum transferatur: cum etiam iste mereatur Ecclesie favorem, cum vel ipse, vel ipsius antecessores benefecerunt. Card. de Luca de Jure Patronat. disc. 37. n. 7. Rota Rom. in rec. p. 8. dec. 262. n. 5. & seqq. ubi tamen in num. 12. & seqq. à successione excluduntur nati ex damnato coitu.
- Occurrit nihilominus una vel altera exceptio. 100 Excipiuntur enim I. Judæi, pagani, & omnes infideles per cap. pia mentis 26. cap. Frigentius 27. cap. quicumque 30. XVI. q. 7. quia cum illis, qui sunt extra Ecclesiam, Ecclesia non habet commercium. Henricus Boich ad cap. nobis 25. d. 1. n. 2.
- Excipiuntur II. hæretici: cum enim per 101 Kkk 2 hare-

hæresin omnia bona & jura amittant ipsò factò cap. *vergens* 10. & ult. de *Hæretic. cap. cum secundum leges* 19. eod. in 6. Jus Patronatùs quoque vel amittunt, vel nunquam acquirunt, quamdiu manent in sua secta pertinaces.

102 Excipiuntur III. excommunicati, quos, si denunciati fuerint, tam à Jure Patronatùs, quam à cæteris juribus & prerogativis spiritualibus pro interim suspensos esse per argumentum ex cap. *in Sede Vac. in 6. docent*

plerique cum Covarruv. in cap. *alma mater* p. 1. §. 7. n. 9. §. 12. Resch cap. 3. n. 3. licet id sine exercitio tempore excommunicationis acquirere non prohibeantur. Boich d. l. n. 3.

Excipiuntur IV. Religiosi, quibus, si Jus Patronatùs in sæculo competit, non amplius post Professionem relinquuntur, sed unà cum aliis juribus in Monasterium transfertur arg. *Nov. 5. cap. 5. & Auth. ingressi Cod. de SS. Ecclési.*

§. IV.

Quis Effectus sit Juris Patronatùs?

104 Principius effectus Juris Patronatùs est presentatio Clerici ad Beneficium, in Ecclesia Patronus vacans. Habet siquidem Patronus facultatem, quoties Ecclesia Patronata vacaverit, unum aut plures Clericos, Ordinario presentandi; & si Laicus sit, habet insuper potestatem variandi, ac vel alios nominandi, vel jam nominatos revocandi, quamdiu superest tempus legitimum seu quadrimestre, & institutio interea non processit. Textus in cap. *quoniam* 3. cap. *quòd autem* 5. cap. *significasti* 18. cap. *cum autem* 24. cap. *cum dilectus* 28. de *Jure Patron.* quæ tamen varietas Patrono Ecclesiastico non permittitur, sed illius locò longius tempus, videlicet semestris, pro faciendâ presentatione fuit indultum d. cap. *cum autem* 24. ubi Panorm. n. 3. Fagnanus n. 19. cap. *in eod.* in 6. Sed hic

107 Quæres I. an Patronus ex pluribus dignior presentare teneatur?

Resp. si in fundatione de certo genere vel qualitate personarum aliquid cautum fuerit, dignum presentari posse præ digniore, qui vel ex illo genere non progenitus, aut illa qualitate non est præditus. P. Pirhing ad *tit. de*

108 *Præbend. n. 98.* Si nihil inveniatur cautum, probabile quidem est, ad beneficia simplicia minus dignum presentari posse arg. cap. *monasterium* 33. *XVI. q. 7.* verum ad curata non nisi dignior est presentandus per Trident. *Concil. sess. 24. de Reform. cap. 1. & 18.* P. Wiestner ad *tit. de Jure Patron. an. 134.* Conferantur dicta in *Lib. I. tr. III. cap. 4. n. 22.*

109 Quæres II. an Patronus etiam in Ecclesia Collegiata presentare, vel Prælaturum nominare valeat?

Resp. hanc questionem esse resolvendam ex dictis in *cit. Lib. I. tr. & cap. n. 14. & seq.*

110 Quæres III. an, si lis moveatur Patrono de Jure Patronatùs, nihilominus durante lite valeat presentare?

Resp. esse quidem regulam, quòd lite pendente nemo sit commodò possessionis suæ defraudandus t. *Ut lite pendente &c.* de jure tamen presentandi difficultatem moveri ex *cit. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 9.* ubi statuitur, ut titulus Juris Patronatùs sit ex fundatione vel dotatione, isque ostendatur ex authentico documento, vel ex multiplicatis presentationibus, hominum memoriam excedentibus; & simul alii moè, Jus Patronatùs acquirendi,

unà cum quasi-possessione abrogantur. Fagnanus in cap. *consultationibus* 19. de *Jure Patron. n. 9. & seq.* Ut igitur hæc difficultas componatur, opus est aliquà distinctione. Videndum scilicet, utrum de Jure Patronatùs constet in thesi, tantumque dubitetur inter compatronos, in hypothesi, ad quem ex pluribus spectet; an verò ne quidem in thesi de eo constet. Posteriore casu, pendente lite, possessor Juris Patronatùs vi Trident. presentare nequit, præterquam si à 50. annis retrò fuerit in possessione: quia præsumptio pugnat adversus possessionem, quæ est infra 50. annos. Priore casu non advertebat Trid. 112 sed procedit regula Juris Communis, aperte firmata in cap. *querelam* 24. de *Elect.* & d. cap. *consultationibus* 19. quòd, durante lite, commodò possessionis suæ nemo privari debeat. Fagnanus *cit. l. n. 16.*

Quæres IV. utrum, pendente lite, non tantum valida sit presentatio, sed etiam institutio?

Hic major est difficultas. Negat enim Joan. de Anania ad cap. *ex literis* 7. d. t. n. 16. tum quia in d. cap. *ex literis* 7. constitutum legitur, Clericum, institutum in Ecclesia, tolerandum esse, si facta sit institutio, antequam de Jure Patronatùs controversia esset suborta: tum quia fructus, qui lite finita non possunt victori restitui, percipi à possessore non possunt. arg. *l. certum est* 22. *Cod. de R. P.* Ve 114

rùm P. Engel ad *tit. de Jure Patron. n. 14.* cum pluribus allegatis sustinet, ealem institutionem valere per textum in *cit. cap. consultationibus* 19. Ratio est I. quia presentatio, bonæ fidei possessori durante lite concessa, debet intelligi cum effectu, ut nempe presentatus acquirat jus ad rem, & Ordinarius obligationem subbeat, presentatum instituendi: cæteròquin non videretur possessori singulare quidpiam fuisse concessum, si presentationem absque Juris effectu haberet. Ratio est II. quia 115

& ille, qui est in quasi-possessione juris eligendi, lite pendente potest eligere cum effectu, ut nempe confirmatio sequatur per textum in cap. *cum Ecclesia* 3. de *Causa possel. & proprietat.* & dicta in *Lib. I. tract. 3. cap. 1. n. 164.* Post 116 sunt etiam cæteri bonæ fidei possessores, durante lite, sua jura cum omnimodo effectu exercere per textum in cap. *à memoria* 1. cap. *laudabilem* 2. *de lite pendente &c.* Ergo possessor

possessor Juris Patronatùs per cap. *querelam* 24. de *Elect.*

117 Nec obloquitur I. *cit. cap. ex literis.* Supponit enim verò, Clericum ante litem institutum fuisse presentatum ab eo, qui necdum erat in possessione Juris Patronatùs, sed primà tunc vice præsentabat: nam in verbis antecedentibus luculentè innuitur, Clericum presentari simul & institui posse, controversiâ quoque jam motâ, si cum re, cui Jus Patronatùs erat annexum, in consequentiam Juris Patronatùs possessionem accepit.

118 Nec obloquitur II. *cit. l. certum est.* illi siquidem fructus, re evictâ, restitui debent, qui temporales sunt, patrimonium augent, & possessorem efficiunt locupletiorum: at fructus Juris Patronatùs, in facultate presentandi potissimum consistentes, nec temporales sunt, nec patrimonium augent, nec possessorem efficiunt locupletiorum: adeoque non restitui sed cum integritate percipi debent arg. *cit. cap. à memoria* 1. & cap. *seq.*

119 Planè si neque de possessione, neque de proprietate Juris Patronatùs constet, ac lis, desuper mota, intra sex menses à die vacantis beneficii terminata non fuerit, tota provisio spectat ad Ordinarium cap. *eam te* 22. de *Jure Patron.* sed hoc intellige de Jure Patronatùs Ecclesiastico: quia, si controversia sit de Laico, nec intra quatuor menses à die vacaturæ terminetur, Episcopus providere potest cap. *quoniam* 3. d. 1. Anton. de Butrio ad d. cap. *eam te* n. 5. Joan. de Anan. ad *idem cap. n. 1. & 2.*

120 Præter jus presentandi competit Patrono I. honor, præcedentia, primusque locus inter Laicos tum in Ecclesia, tum extra in processibus per cap. *piæ mentis* 26. *XVI. q. 7. cap. nobis* 25. de *Jure Patronat.* Vid. Lambertin. de

Jure Patron. 1. q. princ. art. 1. & seqq. Vincen-tius Petra comment. *Apost. tom. 2. pag. 543.* ubi in n. 48. admittit, quòd Patronus in Ecclesia possit erigere sua insignia.

II. competit eidem hæc utilitas, ut, si ver-gat ad inopiam, ac fructibus Ecclesiæ, si qui superint, sustentari debeat cap. *filiis* 30. ead. q. 7. d. cap. *nobis* 25. Lambertin. d. l. 3. *quest. princ. art. 1. & art. 2. per tot.*

III. competit eidem onerosa functio, seu externa Ecclesiæ & illius bonorum ac jurium defensio & cura, ne à quoquam diripiantur, minuantur, vel auferantur d. cap. *filiis* 30. cap. *decernimus* 32. ead. q. 7. Sed, ut post alios docet Lambertin. d. l. art. 11. 2. q. *princ. num. 1.* sumptus ab Ecclesia sunt faciendi.

Petès: an Patrono competat jus aliquod in Clericum, ab eo presentatum, & postea institutum?

Resp. I. Patrono Laico jus nullum competere; proindeque jurisdictionem ac administrationem in res aut personam Clerici eidem interdicitur esse cap. *nullus* 18. cap. *non placuit* 23. cap. *si quis* 25. ead. q. 7. Si tamen Clericus Beneficiatus aliter ageret, quàm oporteret, Patronus Laicus cum non solum dehortari, & intra limites discretionis compescere, sed etiam Episcopo denunciare possit, & deberet cap. *filiis* 31. ead. q. 7. Lambertin. de *Jure Patronat. 2. q. princ. art. 2. & seqq.*

Resp. II. Patrono Ecclesiastico hanc saltem prerogativam superesse, quòd rationes petere valeat tum à presentato, tum à cæteris rerum Ecclesiasticarum administratoribus cap. *sancti* 6. *XVI. q. 2. cap. ex literis* 7. de *Jure Patron.* ubi Panorm. n. 3. Anton. de Butrio n. 4. Henricus Boich. n. 11. & seq. Lambertin. q. 3. *princ. art. 5. n. 3.* Engel ad *cit. tit. n. 5.*

§. V.

Quibus ex causis amittatur Jus Patronatùs?

127 Causæ ex quibus amittitur Jus Patronatùs, alia sunt absque delicto; alia cum delicto. Absque delicto amittitur I. totali destructione Ecclesiæ. Barbosa *J. E. l. lib. 3. cap. 13. n. 254.* Zoëli ad *tit. de Jure Patron. n. 68.* Neque enim subsistere potest jus aliquod incorporale, præsertim jus servitutis, absque subiecto, cui inhaeret arg. §. *instit. 3. Instit. de Usufr. l. si usufructus* 21. ff. *Quib. mod. Usufr.*

128 amittit. Quòd si Ecclesia destructa rursus reedificetur, ac destructio acciderit ex casu incendiij, inundationis, terræ motus &c. reviviscit Jus Patronatùs, fundatione vel dotatione antehac acquisitum, si modò dos aut fundus perstitit incolumnis arg. *l. servitutis*

129 20. §. 2. ff. de *S. P. II.* Aliud est, si Jus Patronatùs constructioe prius acquisitum fuerit: tunc enim, cum causa Juris Patronatùs acquisiti definit ex parte primi constructoris, & rursus ponatur ab alio & secundo constructore, definit etiam Jus Patronatùs ex parte constructoris primi, & incipit ex parte secundi. Abbas ad cap. *quoniam* 3. de *Jure Patronat.*

num. 11. Fagnanus *num. 59. & seq.* Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit. n. 61.* II. amittitur ablatione seu revocatione, quando S. Pontifex illud totaliter abrogat, aut ei partialiter derogat arg. d. cap. *quoniam* 3. licet id, si Jus Patronatùs sit laicale, nunquam faciat, sine specifica & expressa mentione; prout jam supra in p. 2. cap. 3. *num. 276.* animadvertimus est. P. Schmalzgrueber *cit. l. à num. 247.*

III. amittitur, saltem quoad actum principale, seu jus presentandi, si cum Patroni consensu, citra specialem illius reservationem, Ecclesia Patronata mutetur in Collegiatam vel Conventualem: quippe cum provisio vacantis Ecclesiæ tunc fiat per electionem per cap. *nobis* 25. de *Jure Patronat.* Engel ad *eund. tit. n. 26.* IV. amittitur, quando Patronus illud remittit, cedit, aut donat. Interest tamen, num remissio, cessio, vel donatio fiat in favorem Episcopi, vel Ecclesiæ, in qua competit Jus Patronatùs; an verò in favorem alterius Ecclesiæ vel personæ. Si prius; propter defectum subiecti totaliter extinguitur: nec enim Ec-clesia